

aut gravissimæ infirmitatis periculo eam tollere valent; etsi sine molestia et gravi dolore id fieri nequeat. Sanchez, lib. VII, disp. 93, numer. 32 et 34; Perez, disp. 37, sect. 6, num. 3 et affi. Ratio est, quia, cum in tali casu matrimonium validum sit, consequenter mutuum jus ad corpus alterius, et copulam existat, tenetur quis non obstante quovis dolore et molestia corpus suum aptum reddere ad copulam, hoc ipso, quod, qui tenetur ad præstandum obsequium, teneatur etiam ad removenda impedimenta præstandi obsequii, si remove potest; præsertim quando id etiam incontinentiæ, ac pollutionis periculum exposcit.

Infertur proin, teneri feminam arctam pati incisionem etiam cum gravi dolore ac molestia; dummodo iudicio medicorum absque mortis, aut gravissimæ infirmitatis periculo fieri queat; prout bene docet Sanchez, loc. cit., et alii.

67. *Non item cum periculo mortis, aut gravissimæ infirmitatis.* — Dicitur autem notanter: « si absque mortis, aut gravissimæ infirmitatis periculo potest, » quod enim cum periculo mortis auferre impotentiam nemo teneatur, tenent omnes ex ea præcipue ratione, quia ob talem impotentiam, si est antecedens, matrimonium nullum est per dicta num. 5, arg. c. *Fraternitatis*, 6, h. t. Quod autem neque cum gravissimæ infirmitatis periculo teneatur, tenet Sanchez, loc. cit., n. 32; Perez, loc. cit., n. 5, et alii. Ratio est, quia nulla pars conjugum videtur se obligare ad copulam cum tanta sanitatis jactura; præsertim cum gravissimæ infirmitati plerumque etiam conjunctum sit periculum mortis, quo existente obligationem tollendi impotentiam non esse, docet unanimis. (ADNOTATIO XCIII.)

TITULUS XVI.

De matrimonio contracto contra interdictum ecclesiæ.

1. *Ratio continuationis.* — Quia in præcedentibus pluribus titulis præcipue, et ex professo actum est de impedimentis matrimonii dirimentibus, recto ordine pergit compiler canonum ad impedimenta impediencia, quæ, quia introducta sunt per interdictum, seu

legem, vel mandatum Ecclesiæ interdicentis, seu prohibentis matrimonium, ponit præsentem rubricam.

2. *Hodie quatuor tantum sunt impedimenta impediencia: et quæ?* — Porro hujusmodi impedimenta impediencia quamvis olim multa fuerint, ut patet ex tit. I, numer. 331 et 332, ubi cuncta recensita habes, tamen hodie per consuetudinem cuncta sunt abrogata (ut ibidem diximus) exceptis quatuor comprehensis in sequenti versiculo:

Sacratum tempus, vetitum, sponsalia, votum.

De quorum duobus ultimis jam egimus in tit. I, de prioribus autem duobus vetito nempe, et sacrato tempore agemus in præsentem.

3. *Vetitum Ecclesiæ, seu interdictum quid?* — Quæritur I. Quid sit? a quo fieri possit? et qualiter matrimonium impediatur vetitum, seu Ecclesiæ interdictum? Resp. I. Quamvis late et in genere loquendo Ecclesiæ vetitum, seu interdictum comprehendat omnia impedimenta tam dirimentia, quam impediencia introducta ab Ecclesia; nihilominus in specie, proprie, et ad præsens loquendo Ecclesiæ vetitum, seu interdictum nihil aliud est, quam specialis prohibitio a superiore ecclesiastico ob justam causam facta, ne certæ quædam personæ contrahant matrimonium, eo quod forsitan una earum jam sit desponsata alteri, vel existat dubium aut suspicio de latente inter eas impedimento dirimente, aut impediencia, aut timendum sit ex earum matrimonio scandalum, vel ob aliam justam causam. Ita in re communis, arg. c. I, II et III, h. t., et c. fin. de *Clandest. Desponsat.*

4. *Ecclesiæ vetitum seu prohibitionem, ne matrimonium contrahatur, facere potest Papa, episcopus, et parochus.* — Resp. II. Interdictum seu vetitum facere, id est, prohibere, ne ab aliquibus matrimonium contrahatur, potest non tantum papa, sed etiam episcopus, imo etiam ad tempus parochus. De papa, et episcopo nemo dubitat. De parochis docet Sanchez, lib. VII, disp. 6, num. 6; Barbosa, in c. 1, h. t., num. 2; Pirhing, h. t., n. 6; Navarrus, in *Manual.*, cap. XXII, num. 68, et communis aliorum dicens, parochum non tantum posse, sed etiam debere interdiceri, vel prohibere, ne matrimonium contrahatur, si aliqua ex recensitis num. præced. causis adsit, arg. cit. c. I et II, h. t., et c. fin. de *Clandest. Desponsat.* ubi præcipit Papa: « ut si impedimenti apparuerit, probabilis conjectura, contractus

interdicatur, donec, etc.» quod si facere negligit, triennio suspenditur ab officio, uti expresse habetur, cit. c. fin., § fin., h. t., ibi: « Sane si parochus contempserit, etc., per triennium ab officio suspendatur: ergo.»

Nec obstat, quod causarum matrimonialium cognitio, ac decisio non ad parochum, sed ad episcopos, ac iudices ecclesiasticos pertineat n. 1, de *Consang. et affinitat.* Resp. enim parochum in simili causa nihil decidere, nec judicialiter cognoscere, sed ex allegatis causis præcise interdiceri ac prohibere matrimonium, idque non in perpetuum, sed tandiu, donec ab episcopo judicialiter cognoscatur, ac judicetur. (ADNOTATIO XCIV.)

5. *Tale vetitum seu interdictum obligat sub mortali.* — Quæritur II. Quomodo obliget, et quem effectum habeat interdictum, seu prohibitio ab ecclesiastico superiore facta, ne matrimonium contrahatur? Resp. I. Talis prohibitio obligat sub mortali. Barbosa, in c. 2, h. t. n. 4; Sanchez, lib. VII, disp. 47, n. 1; Sylvester, §. *Matrim.* 7, q. 1, dict. 3; Pirhing, h. t. n. 7, etiam communis aliorum, arg. c. fin. h. t. ubi etiam excommunicari jubetur, qui stante prohibitione ob suspicionem consanguinitatis facta, matrimonium contrahit. Ratio patet, quia est præceptum Ecclesiæ in re gravi.

6. *Limitatur.* — Limitat tamen merito conclusionem Sanchez, loc. cit. dicendo, interdictum hujusmodi sub solo veniali obligare, quando vel fit ex levi causa ad tempus, vel quando sponsi certo constat, impedimentum, aut aliam causam, quæ timeatur, et ob quam factum est interdictum, non subsistere.

7. *Contrahentes contra prohibitionem Ecclesiæ in pœnam delicti ad tempus separantur.* — Resp. II. Contrahentes contra interdictum, seu prohibitionem Ecclesiæ, præter peccatum, etiam pœnam ab episcopo imponendam incurrunt, et ad tempus in pœnam delicti, separati vivere debent, Barbosa, in c. 1, h. t. et ibi doctores communiter, Sanchez, lib. VII, disp. 2, n. 14; Pirhing, h. t. n. 4, cum communi aliorum, textus expressus habetur c. 1, h. t. ubi Papa mandat episcopo, ut nubentem puellam contra hujusmodi interdictum « ad domum matris redire compellat, et imposita sibi de tanto excessu pœnitentia condigna, postquam in loco materna per mensem steterit, ad ter-

fium (maritum nempe) reverti permittas.» Ratio ibidem præmittitur, « ne mandatum contemptibile videatur.» Concordat c. 2, h. t. ibi ad finem: « Pœnitentia tamen eis imponi debet, quia contra prohibitionem Ecclesiæ hoc fecerunt.» Cæterum in textu cit. c. 1, h. t. separatio per mensem tantum ponitur gratia exempli; ut proin iudici liberum sit, per majus temporis spatium ita peccantes separare, vel loco separationis aliam pœnam injungere, præsertim si foret periculum incontinentiæ, ut cum aliis bene advertit Sanchez, loc. cit.

8. *Valet tamen matrimonium eorum, nisi Papa interdicat.* — Resp. III. Quamvis contrahentes contra prohibitionem peccent, et ad tempus separari valeant juxta dicta n. præced. validum nihilominus est eorum matrimonium, ac proin perpetuo separari non amplius possunt, si prohibitio facta est ab aliquo inferiore Papa, et aliud impedimentum dirimens non obstat, Abbas, in c. 2, h. t. n. 3, et ibi Barbosa, n. 2; Sanchez, lib. VII, disp. 2, n. 2, eoque teste omnes, textu claro c. 2, h. t. ubi matrimonium contra prohibitionem episcopi factum, expresse agnoscitur validum. Ratio patet, quia episcopus aut alius inferior Papa, sua prohibitionem non potest inducere impedimentum dirimens, juxta hodie unanimum apud Sanchez, lib. VII, disp. 1, n. 7. Hinc si aliud impedimentum dirimens revera non subest, sua prohibitionem facere nequit, ut matrimonium sit nullum, etsi ob suspicionem impedimenti prohibeat.

9. *Imo etiam si Papa interdicat.* — Resp. IV. Etiam si Papa specialiter ex quacunque tandem causa interdicat, seu prohibeat matrimonium, valide nihilominus contrahitur, nisi sub decreto irritante illud prohibeat. Pontius, de *Matrim.* lib. VI, cap. VII; Castro Palao, de *Sponsalibus*, disp. 4, pun. 2, § 1, n. 2, et alii arg. c. 2, h. t. ibi: « Licet enim contra interdictum Ecclesiæ ad secunda vota transire non debuerit; non est tamen conveniens, ut ob id solum, sacramentum conjugii dissolvatur.» Ratio est, quia simplex prohibitio non irritat actum alias de natura et jure validum, juxta illud tritissimum c. *Ad Apostolicam*, 16, de *Regularib.* ibi: « Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem: » longèque diversa sunt prohibere, et irritare, arg. c. *Rursus. Qui Clerici vel voventes*, et c. un. de *Voto*, in 6. Hinc, si constet Papæ decre-

tum fuisse præcise prohibens, nullamque continens irritationem, erit validum matrimonium contra illud contractum. Nec obstat c. *Tua Fraternalitas*, 4, de *Sponsa duorum*, ubi archiepiscopo ita scribit Papa: « Si contra interdictum Ecclesie publice factum venire (contrahendo matrimonium) præsumpserint, matrimonium tam præsumptuose contractum poteris irritare. » Resp. enim, ibi per ly irritare intelligi separationem quoad thorum in tali casu faciendam, et tandiu continuandam, donec rite cognoscatur super causa, an v. g. impedimentum aliquod subsit, necne.

10. *Nisi opponat clausulam irritantem.* — Pariter non obstat can. *Videtur*, cau. 37, q. 6, ubi expresse habetur, « quod contra interdictum et ordinem Ecclesie factum est, ratum non haberi, tam divinæ, quam humanæ legis proclamatur auctoritas. » Resp. enim, hunc textum intelligendum esse de Ecclesie interdicto, clausulam irritantem habente; tunc siquidem matrimonium contra hujusmodi interdictum celebratum, invalidum esse, ipsi fatemur in conclusione per illa verba, « nisi sub decreto irritante illud prohibeat, » docentque Castro Palao, de *Sponsalib.* disp. 4, pun. 2, § 1, n. 2; Pontius, lib. VI, cap. VII, a n. 5, et alii, arg. c. penult. de *Desponsat. Impuber.* Ratio est, quia sicut Papa generali constitutione respectu omnium, ita etiam speciali decreto, respectu aliquorum potest constituere impedimentum dirimens, seu annullans matrimonium contrahendum.

11. *Tempus sacratum, quo nuptias solemniter celebrare non licet: quale?* — Queritur III. Quid sit ad præsens, tempus sacratum seu feriarum? et qualiter matrimonium dirimat? Resp. I. Per tempus sacratum intelligi illud, quo solemnes nuptias cum conviviis, choreis, musica, aliisque lætitiæ signis publicis celebrare ab Ecclesia est prohibitum, ut tali sacro tempore fideles magis vacare possint orationibus, jejuniis, aliisque pietatis et poenitentiae operibus. Quod tempus olim varium et multiplex fuit, prout patet ex can. 8, 10 et 11, cau. 33, q. 4, et c. *Capellanus*, 14, de *Feriis*. Hodie tamen prælatum tempus restrictum est per concilium Tridentinum, sess. 24, de *Reform. matrim.* cap. x. illis verbis: « Ab Adventu Domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ, et a feria quarta cinerum usque ad octavam Paschæ inclusive antiquas solem-

nium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta synodus præcipit; in aliis vero temporibus solemniter celebrari permittit. »

12. *Præfato tempore licitum est de jure matrimonium saltem sine solemnitatibus contrahere.* — Resp. II. Quamvis sacro tempore nuptiæ cum solemnitate celebrari licite non valeant, potest tamen dicto tempore matrimonium sine solemnitate licite contrahi etiam absque dispensatione. Abbas, in c. *Capellanus*, de *Feriis*, n. 4; Sanchez, lib. VII, disp. 12, sect. 2, concl. 4, cum Glossa communiter recepta in c. *Capellanus*, 4, de *Feriis*, §. *Quocumque*. Patetque clare ex concilio Tridentino, loc. cit. ubi de solis solemnibus nuptiis mentionem facit, et de illis solis jura antiqua disposuisse, satis innuit. Accedit declaratio cardinalium, de qua testantur præfati doctores ac etiam rituale romanum tit. de *Sacramento matrimonii*; ubi postquam sacra, quibus cum solemnitate celebrare non licet nuptias, specificavit tempora, addit: « Matrimonium autem omni tempore celebrari potest; » intellige, sine solemnitate. Ratio est, quia expediens non foret, si Ecclesia præfatis temporibus ipsum etiam matrimonii contractum sine solemnitate celebrandum prohiberet; cum sæpe ad id urgeat periculum incontinentiæ, ad quam evitandam matrimonium tanquam remedium fuit institutum.

13. *In Germaniæ tamen diocesisibus vi consuetudinis requiritur dispensatio episcopi.* — Notandum tamen, in pluribus Germaniæ diocesisibus unum obtinuisse, ut etiam sine solemnitatibus tempore sacro nuptias celebrare non liceat, nisi episcopus dispenset, aut nisi necessitas urgeat, v. g. in articulo mortis ad legitimandam prolem, vel si statim discessurus ad bellum vult ducere concubinam, etc. Marchantius, in *Resolut. Pastoral.* tract. VIII, cap. III, n. 3; Gobath, tract. IX, n. 71; Layman, lib. V, tract. X, p. IV, cap. xv, n. 1, qui testatur, in Baviaræ diocesisibus etiam illam consuetudinem vigere, ut necessitate urgente quoque, licentiam ab episcopo petere debeat parochus, si fieri potest. Debent itaque doctores parochi attendere diocesis, in qua vivunt, consuetudinem, et eidem se accommodare in assistendo matrimoniis tempore sacro, sine solemnitate contrahendis. (ADNOTATIO XCV.)

TITULUS XVII.

Qui filii sint legitimi.

1. *Ratio continuationis.* — Præcipuus matrimonii effectus sunt legitimi liberi. Hinc postquam de matrimonio, et impedimentis ejusdem hucusque actum est, recto ordine subsequitur præsens rubrica, qui filii sint legitimi, ubi etiam filia comprehenduntur; quia pronuntiatio sermonis in sensu masculino utrumque sexum comprehendit l. *Pronuntiatio*, 193, prin. ff. de *Verb. signif.* Porro licet rubrica de solis legitimis sonet, nihilominus horum occasione etiam de illegitimis ibidem agitur.

§ I.

DE LIBERIS LEGITIMIS.

2. *Legitimi reputantur, qui ex vero, vel saltem putativo matrimonio nati sunt.* — Queritur I. Quinam omnes sint, vel reputentur liberi legitimi? Resp. Liberi legitimi sunt et dicuntur omnes illi, qui vel ex vere legitimo matrimonio aut saltem putativo tali, publice seu in facie Ecclesie absque contradictione, ac bona fide inito, nati existunt. Communi ac certa, arg. l. *Filius*, 6, ff. de *His, qui sui vel alieni*, et prin. *Instit. de Patria potestat.* et c. 2, h. t. ubi etiam ex putativo matrimonio nati liberi pro legitimis declarantur illis verbis: « Filii eorum (qui bona fide nulliter contrahebant) non debent exinde sustinere jacturam, cum parentes eorum publice, et sine contradictione Ecclesie inter se contraxisse cognoscantur. Ideoque sancimus, ut filii eorum quos ante divortium habuerunt, et concepti fuerant, ante latam sententiam non minus habeantur legitimi, et quod in bona paterna hæreditario jure succedant, et de parentum facultatibus nutriantur. »

3. *Dummodo matrimonium putativum in facie Ecclesie, et sine contradictione.* — Dicitur autem notanter primo, « aut putative tali, publice, seu in facie Ecclesie, et absque contradictione inito. » Siquidem c. *Cum inhibito*, 3, de *Clandestin. desponsat.* expresse disponitur, quod, si quis clandestine, seu sine præviis denuntiationibus, aut contradi-

cente, seu interdicente episcopo vel parochio, « matrimonium inire præsumpserit in gradu prohibito (consanguinitatis v. g. vel affinitate) etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium. » Ratio subjungitur illis verbis: « Cum illi taliter contrahendo non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantie videantur. »

4. *Atque bona fide sit contractum.* — Dicitur secundo, et bona fide inito. « Nam pari modo proles illegitima censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes, præter omne interdictum etiam in conspectu Ecclesie contrahere præsumpserint: » prout expressis verbis statuitur cit. c. *Cum inhibito*: ubi tamen nota ly ambo parentes; quia, si unus tantum ex conjugibus ante matrimonium, vel ejus consummationem scivit impedimentum dirimens, alter vero idem ignorans bona fide contraxit et consummavit matrimonium, liberi inde nati legitimi reputantur, ut bene docet Glossa communiter recepta in cit. c. *Cum inhibito*, §. *Ambo parentes*. Barbosa, in c. *Ex tenore*, 14, h. t., n. 2, et Abbas, n. 3, textu claro cit. c. *Ex tenore*, 14, h. t.

5. *Sufficit autem, si saltem una pars conjugum bona fide contrahat, et in eadem etiam tempore conceptionis adhuc existat.* — Debet autem bona fides saltem ex parte unius, etiam tempore conceptionis adhuc adesse; nam etsi tempore contractus matrimonialis adsit ignorantia impedimenti, et consequenter bona fides; tamen si ante prolis conceptionem innotescit impedimentum, et consequenter bona fides cessat, illegitima foret proles, ut cum communi bene docet Pontius, lib. XI, cap. VIII, n. 3; Pirhing, h. t., n. 14, et alii, arg. cit. c. *Ex tenore*, 14, h. t.

6. *Sive dein bona fides proveniat ex ignorantia facti, vel juris etiam clari.* — Porro legitime sunt proles ex invalido matrimonio in facie tamen Ecclesie, et bona fide ex parte saltem unius contracto, non tantum, si ex ignorantia facti, sed etiam ex ignorantia juris clari id fiat, ut si v. g. ambo conjuges bene sciunt, se esse in quarto consanguinitatis gradu conjunctos, ignorant tamen ambo, vel saltem unus eorum, versari inter eos impedimentum dirimens, indeque matrimonium bona fide (saltem ex parte unius) in facie Ecclesie, et nemine contradicente